

25. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros. Vix quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit, sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala autem in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facies, omnes sciunt: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Sen. 96. epistol.*

26. Nemo plus videtur æstimare virtutem, nemo magis illi esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Senec. 72. epist.*

27. Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum prospicere possit. *Lib. de moribus.*

28. Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpè poterit fama, conscientia nunquam. *Ibidem.*

29. Mala conscientia sæpè tuta est, secunda nunquam. Itaque nihil ei commiseris, nisi quod amico committere possis: plerique famam, conscientiam autem pauci verentur. *Ibidem.*

30. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum: alium enim potes effugere, te autem nunquam, nequitia enim ipsa est sui pœna. *Ibidem.*

31. Superet conscientia, quicquid mali finxerit lingua. *Ibidem.*

32. * Stulti malorum conscientia torquentur, sapientes bona præterita grata recordatione renovata delectant. *Cicer. 2. de fin.*

33. * A recta conscientia non oportet quemquam in omni vita transversum unguem discedere. *Id. ad At. lib. 5.*

34. * Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus. *Idem pro Cluent.*

35. * Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. *Idem ad Torquat.*

Vide etiam in tit. Amina, núm. 26. in tit. Confessio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Gloria bona, núm. 1. in tit. Honestas, núm. 2. in tit. Injuria, núm. 6. in tit. Solitudo, núm. 1, 18, 23. in tit. Virtus, núm. 27.

CONSIDERATIO SUI.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda judicentur: nuda pensentur: nuda inspiciantur, fallacia tegimina, et vanæ laudes gloriæ auferantur, et adparebunt miseræ peccatorum. *Aug. lib. 5. de Civit. Dei.*

2. Eunt homines mirari alta montium, et ingentes fluctus maris et altitudines montium, et altissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seipsos, nec mirantur. *Aug. lid. 10. confession.*

3. Magis cogitare debetis quid nobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas. Quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaveris, non laberis. *Aug. super Matth. serm. 59.*

4. Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est ut agnoscant te, qui infra te sunt: Ideoque dum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt eum supra se leones. *Aug. super epist. Joan. c. 8.*

5. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, et fastigia cœlorum scrutatur. *Aug. in proæ. 9. de trinit.*

6. O homo si consideres, quid per os, quid per

nares cæterosque meatus egrediat, nunquam vilis sterquilium invenisti. *Aug. in serm.*

7. Vix aliquis ab hoc vitio invenitur alienus, quia unusquisque suis favens, aliena facillè reprehendit, sumens auctoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. *Hier. in glo. sup. Matth. 7. Quid vides festuc. etc.*

8. Quum bona, fratres, agilis, semper ad memoriam mala acta revocate, ut dum ante culpa conspicitur, nunquam de bono opere incaute animus lætelur. *Greg. in hom.*

9. Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet: et quanto majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. *Greg. 25. moral.*

10. Considerata infirmitas, propria mala mollit, excusat aliena. *Greg. 5. moral.*

11. Qui plenissime appetit intelligere qualis est, talis nimirum debet conspiciere, qualis non est: ut ex honorum forma meliatur ipse, quanto deserto bono deformis est. Lucem namque debet conspiciere, qui vult de tenebris judicare. Lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. *Greg. ibid. in moral.*

12. Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur, quum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, et secum querens considerat ubi erit: aut quum mala vitæ præsentis attendens, solerter mœrens, considerat ubi est: aut quum bona supernæ patriæ contemplantur: quæ quia necdum aspicitur, lugens conspicit, ubi non est. *Ibid. l. 25.*

13. Posito prosperæ fortitudinis fundamento, quum fabrica in altum ducitur, necesse est, ut unusquisque proficiens vires caute meliatur: ut quum divina constructione magnus jam esse cœperit, semelipsum respiciat sine cessatione, quid fuit: quatenus attendens humiliter quod præter meritum inventus est, nequaquam arroget quod per gratiam factus est. *Greg. 28. moral.*

14. Cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare meliorem merita negligit. At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quæ ipse feliciter facta foris ab aliis conspicit, eum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ lumorem præmit. *Greg. 15. moral.*

15. Scio neminem absque sui cognitione salvari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, et timor Domini: qui et ipse sicut initium sapientiæ, ita et salutis est. *Ber. super cant. serm.*

16. Primum ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, consideratio purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, et ordinat: postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. *Ber. ibid. de consideratio.*

17. Consideratio est, quæ confusa discriminat, sparsa colligit, secreta rimatur, verum investigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, in adversis prosperat, præsentit in adversis quasi non sentit. *Ber. ibid. de consid. ad Eug.*

18. Spiritualis homo omne opus suum terna quadam consideratione præveniet: prius quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. *Ibidem.*

19. Consideratio tui in tria quædam dividatur. Si consideres quid, quis, qualis sis, quid in natura, quis in persona, qualis in vita. *Ber. ibid.*

20. Alter alterius culpam citò intelligit, suam autem difficile: quia homo in causa alterius tranquilum habet cor, in sua autem turbatur: perturbatio autem cordis non permittit hominem considerare quod bonum est. *Chrys. super illud Matth. Væ vobis Scribæ et Pharisei. qui ædific. sep.*

21. Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari quid ipse sit, quid intra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, utilitatem

sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. *Chrys. in tract. de sym. lib. 3.*

22. Qualiter in alienis vides tam parva, et in tuis tam magna transcurris? Si te magis amas, quam proximum, quare ipsum procuras, et non teipsum? Si autem teipsum contemnis, manifestum est, quod jam non procuratio est, sed detractio potius. Cum enim diligentia investigare oportet, quæ tua sunt, et ita ea, quæ proximi sunt decernes. *Chrys. super illud Matth. 7. Quid autem vides festucam in oculo.*

23. Omnis gravis angustia, si me inspicio, non tolero meipsum, si non inspicio, nescio meipsum. Si me considero, terret me facies mea: si me non considero, fallit me damnatio mea: si me video, horror est intolerabilis: si non video, mors inevitabilis. *Ansel. in suis med.*

24. Tandiu quis peccata sua, quæ nosse et flere debet, ignorat, quandiu curiose aliena considerat. Quod si mores suos ad seipsum conversus aspiciat, non requirit, quod in aliis reprehendat, sed in seipso quod lugeat. *Prosper de vita contemplativa, lib. 2.*

25. Revera omnium causarum difficillimum est seipsum cognoscere. Non enim solus oculus ea quæ extrinsecus habentur, inspiciens seipsum non valet intueri, sed etiam mens ipsa satis acute aliena delicta contemplant, tardior est erga suorum cognitionem vitiorum. *Basil. in examer. lib. 9.*

26. Frustra enim cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad vivendum seipsum. Prius enim est, ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia Dei: et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum et principale est speculum ad videndum Deum animus rationalis intuens seipsum. *Hugo. lib. 5. de anim. c. 6.*

27. Redi ergo ad cor tuum, et subtiliter discute teipsum, considera unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie pro-

ficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus affectibus frequentius langesis, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acris impugnaris: et quum totum interioris et exterioris hominis statum, et habitum, et quantum possibile est, plene cognoveris, non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. *Hugo. ibid. 5.*

28. Melior es, si teipsum cognoscas, quam si te neglecto, cursus syderum, vires herbarum, complexionnes hominum, naturas animalium, cœlestium omnium et terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, et seipsos nesciunt, cum tamen summa philosophia sit cognitio sui. *Hugo. lib. 2. de anim. c. 9.*

29. Disce ex tuo spiritu cognoscere, quid debeas de aliis spiritibus æstimare, hæc porta, hæc schola, hic introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima, hac elevatur ad summa, ex hac siquidem proficisceris ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium et infernorum. *Ibidem.*

30. Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est utilitas servo Dei propriam infirmitatem recognoscere: atque in suis viribus, aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adesse virtus divina, quando deficere incipit præsumptio humana. *Cass. super illud Psalm. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.*

31. Humanæ naturæ ista conditio est, ut tantum cæteris rebus, cum se cognoscat, excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est, hominibus vitio venit. *Boëtius lib. 2. de consol.*

32. In moribus quibus afficiuntur, quo quis se pejus habet, minus sentit: gravis sopor etiam somnia extinguit, animam alterius mergit, quod uti nullo intellectu possit. *Senec. epist. 54.*

33. Animus quotidie ad rationem reddendam est

vocandus. Faciebat Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? desinet ira vel moderatior erit, qui sciet sibi quotidie ad iudicem veniendum: Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur! quam tranquillus, quam altus ac liber! *Senec. lib. 5. de ira ante finem.*

34. Maximum argumentum est animi ab altiori sede venientis, si hæc in quibus versatur, humilia iudicat, et angusta: si exire non metuit: scit enim, quod exiturus sit: qui unde venit, meminit. *Senec. in quadam epist.*

35. Etiam oblivisci, quid sis interdum expedit. Nisi astimalis viribus aggrediaris sarcinam, subiacebis. *Senec. in prov.*

36. * Ad rem gerendam qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem: in quo considerandum est illi, ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem, in omnibus autem negotiis priusquam aggrediare, attribuenda est preparatio diligens. *Cic. 1. offic.*

37. * In omnibus, quid tempora petant, aut personis dignum sit, semper considerandum. *Cic. 2. de Invent.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 44, 45. in tit. Caro, núm. 22, 23. in tit. Contemptus, núm. 6. in tit. Correctio, núm. 20, 45, 60, 61. 88. in tit. Curiositas, núm. 1. in tit. Discretio, 4, 9, 14, 15, 16. in tit. Honor, núm. 25. in tit. Ignorantia, núm. 6. in tit. Mirabile, núm. 7. in tit. Miseria, núm. 11. in tit. Mors, núm. 31. in tit. Præsumptio, núm. 16. in tit. Prosperitas, núm. 21. in tit. Sacerdos, núm. 20. in tit. Sanctitas, núm. 8, 9. in tit. Superbia, núm. 39. in tit. Timor, núm. 12. in tit. Venia, núm. 28.

CONSILIUM.

1. * Consilium omne à Deo est, à quocumque proficiscatur. *Aug. lib. 1. de doctr. Christ.*

2. * Consilium Dei nemo nisi spiritualis intelligit. *Aug. in lib. exp. quest. 4.*

3. Advertendum, quod in acquirendis consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiae usus, facilitatis gratia. Quis enim in cæno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis utilem iudicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero eum iudicare consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi: et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat? cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugal, cupiditas perturbat. *Ambr. de offic. lib. 2.*

4. Necessè est, ut præstantior sit, à quo consilium petitur, quam ille sit, qui petit. Qui enim consulat hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis. *Ibidem.*

5. Talis debet esse, qui consilium dat: ut seipsum formam aliis ad exemplum honorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate: ut sit ejus sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora. *Ibidem.*

6. Quantò utilius regem Pharaonem Joseph consilio providentiæ juvit, quam si pecuniam contulisset! Pecunia enim unius civitatis ubertatem non redimeret, et prospicientia Joseph totius Ægypti per quinquennium famem repulit. Facile autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt: hæc usu augentur, pecunia minuitur, et citò deficit: ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves, et sæpè tibi desit, quod alii conferendum putaveris. Consilii opis-

que collatio, quo in plures diffunditur, eo redundanti-
or manat, et in suum fontem recurrit. *Ibidem.*

7. Quid tibi prodest habere sapientiam, si consi-
lium neques? Si consulendi copiam includas, clausisti
fontem, ut nec alius insuat, nec tibi prosit. *Ibidem.*

8. Consilium bonis datur, correctio errantibus.
Ambros.

9. Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium
fulciatur, quia quo plus se posse conspicit eo vir-
tus sine moderamine delerius in præceptis ruit: mens
quæ intus sedem consilii perdidit, foras se per deside-
ria innumerabiliter spargit. *Greg. in moral.*

10. Dare stulto consilium charitatis est: dare sa-
pienti, ostentationis: dare verò tempore perversitatis,
sapientiæ. *Greg. in moral.*

11. Nulla consilia meliora sunt, quam illa quæ
ignoraverit adversarius ante, quam facias. Quum
igitur consilium tuum cognoveris adversariis proditum,
dispositionem mutare te convenit. Quid fieri debeat,
tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum pau-
cissimis ac fidelissimis vel potius ipse tecum. *Vegetius
de re. mil.*

12. Consilium est examinandarum, gubernanda-
rumque causarum subtilis animi prospectus. *Tull. 2.
Rhetor.*

13. Deliberatio est ante quodlibet inceptum plena
maturitatis et solertiæ consideratio. *Ibidem.*

14. Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate
corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquo-
rum et scientia: quibus non orbari, sed etiam au-
geri solet senectus. *Tull. in lib. de Sen.*

15. In rebus magnis memoriaque dignis consilia
primum, deinde acta, postea eventus spectantur. *Tull.
2. de Orat.*

16. Magna enim est et infinita prudentia, quam
nemo sic assequitur, ut eam non necessario per alios
quærere videatur. Senes ipsi consiliis sapientiam dis-
cunt, et à maturis in commune quærunt, quod pro
omni utilitate tractatur. Solatium curarum frequenter

sibi adhibent maturi reges, et hinc meliores æsti-
mantur, si soli non omnia præsumunt. *Cass. par. 2.
lib. 1. epist. 9.*

17. Plurimum laudis juvenes moribus suis appli-
cant: quoties de negotiorum meritis ambigentes ad
peritorum consilia decurrunt. *Ibidem.*

18. Consilium quippe imitari negligit improvidus,
sapientiam verò ille quærit in altero, penes quem est
scientiæ magnitudo. *Cass. ibid. lib. 3. epist. 4.*

19. Quidam ea semper differunt, quæ differri non
expedit, ibique sunt præcipites, ubi res saniore con-
silio indigent. *Pet. Rav.*

20. Quidam omnia imprudenter agunt, et ipsis pro
voto succedunt. Quidam ad omnia consilio se dispo-
nunt, et semper in contrarium eis cedunt. *Pet. Rav.
in quadam. epist.*

21. In magnorum discriminum angustiis ubi do-
mestica consilia remedium non invenerunt, eorum suf-
fragia implorantur, quorum prudentiam in altioribus
negotiiis experientia diuturnior approbavit. *Ibidem.*

22. Ubi publica jactura est, et commune dispen-
dium, sicut dolore in universitatem se porrigit, ita
communi consilio et auxilio est utendum. *Ibidem.*

23. Consilium peritorum ex apertis obscura exis-
timat: ex parvulis magna: ex proximis remota: ex
partibus tota: scit enim, qua via aggredi debeat, et
cito singula et distincte videt. *Pet. Rav. ibid.*

24. Tunc consilia salutaria advoca, quum tibi al-
ludit vitæ prosperitas: tunc te velut in lubrico reli-
nebis: nec tibi dabis impetus liberos: sed circums-
picias quò eundem sis, et quousque. *Senec. in epist.*

25. Maxime sunt contraria consilio, festinatio et
ira velox: consilium sequitur pœnitentia. *Senec. lib.
de Ira.*

26. Non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ
summa proposita est. Nemo, quamvis paratos habeat
colores, similitudinem reddet, nisi jam constet, quid
velit pingere. Scire debet, quid petat ille, qui sag-
ittam vult mittere: et tunc dirigere ac moderari ma-

nu telum. Errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat nullus suus ventus est: necesse est multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. *Sen. epist. 72.*

27. Quidam quæ tantum amicis committenda sunt, omnibus narrant, et in quaslibet aures quicquid illos urit, exonerant: quidam etiam rursus charissimorum conscientiam reformidant: et si possent, ne sibi quidem credituri intus premunt omne secretum. Neutrum faciendum est: utrumque enim vitium est, et omnibus credere, et nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. *Senec. 2. Par. Epist. 2. epi.*

28. Pauci sunt, qui consilio se suaque disponunt, cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. *Senec. epist. 2.*

29. In æquo autem est amissæ rei dolor, et timor amittendæ: nec ideò tibi præcipio negligentiam: tu verò metuenda declina. Quicquid consilio prospici potest, prospice: quodcumque læsurum est, multo ante, quam accidat, speculari et adverte. *Ibidem.*

30. Diu delibera, citò facito: nihil curare, hoc est insanum esse: nihil posse, hoc est mortuum vivere. *Senec. in prover.*

31. Sepultus sit sermo apud te, quem tu solus audieris. Consilio melius vinces, quam iracundia. *Ibid.*

32. Deliberandum est diu, quicquid statuendum est semel: deliberare utilia, mora est tutissima: mora omnis odio est, sed facit sapientiam. *Ibidem.*

33. Fortuna homini plus quam consilium valet, malo consilio fœminæ vincunt viros. *Ibidem.*

34. Recta consilia capere possumus, si, quæ nos lædere potuere, agnoscamus. Si sollicitus fueris, iudicium prævenies: occasio tabernaculum mentis est, si in bono utaris: si in malo, caligo. *Ibidem.*

35. * Hoc plerumque facimus, ut consilia eventibus ponderemus: et cui bene quid processerit, multum illum prævidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. *Ci. in Ra.*

Vide etiam in tit. Fortitudo, núm. 13. in tit. Prudentia, núm. 9, 14, 18, 19, 20, 21.

CONSOLATIO.

1. Hoc est quod nos et lætificat in omnibus laboribus et periculis vitæ hujus: amor noster in Deum, et pius studium, et certa spes, et fervor spiritus. *Aug. super Joan.*

2. Si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si ulla calamitas vexat, adsunt boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, sed flere cum flentibus norunt, leniuntur aspera, relevantur gravia, et superantur adversa. *Aug. ibid.*

3. Consolatio mitis debet esse, non aspera: quæ magis dolorem leniat, fervorem mitiget, quam commotionem exitet. *Ambr. in lib. de Joseph.*

4. Paupertatem times, sed bonos pauperes Christus appellat. Labore tereris, nemo athleta sine sudoribus coronatur: de cibo cogitas, sed fides famem non timet. Deus ipse omnium rector ac dominus cum omnia angelorum militia certamen tuum expectat: tibi contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *Hier. in quadam epist.*

5. Non plangam cum Jacob et David filios in lege morituros, sed cum Christo in Evangelio suscipiam resurgentes, Judeorum luctus, Christianorum gaudium. Unde Moyses moriens plangitur: Jesus absque funere et lacrymis in monte non sepelitur. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Hier. ad Heliod. de mor. Nepot. presb.*

6. Quum volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, ordo consolationis est, ut studeamus prius mœrore, ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori: quia eo ipso quod à mœrore afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. Sed emolli prius debet animus, ut afflictio congruat: congruens inhæreat, inhærens trahat: nec ferrum ferro conjun-

gitur, si non utrinque exustione ignis liquetur. Durum molli non adhæret, nisi prius ejus duritia mollescat. Sic nec jacentem erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur: quia dum rectitudo dantis à jacente discrepat, eum, cui condescendere negligit, nequam levat. *Greg. lib. 15. moral.*

7. Magna consolatio tribulationum est Auctoris nostri dona ad memoriam revocare. *Greg. VI moral.*

8. Magna est consolatio in eo, quod displicet quod ordinante illo erga nos agitur: cui non nisi justum placet. *Greg. lib. 2. moral super illud: Dominus dedit, Dominus abstulit, etc.*

9. Festina consolatio bonorum, consideratus finis malorum: dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt, quod evadunt, leve æstimant, quicquid adversum in hac vita patiuntur. *Greg. 21. moral. super illud Job. Perditio est iniqui, etc.*

10. Facilius erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta revocamus, atque hæc jam non flagella, sed dona esse conspiciamus, si quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Greg. in re.*

11. Non sis miser ante tempus, quum illa quæ velut imminetia expavisti, fortasse nunquam ventura sint, certe non venerunt. Quædam ergo vos magis torquent, quam deberent: quædam ante torquent, quam debent: quædam autem torquent, cum omnino non debeant, aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præoccupamus. Si enim futurum est, quid juvat dolori suo occurrere? Satis cito dolebis quum venerit. Interim tibi meliora promitte. Aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est, et aliquis carnifici suo superstes fuit. Sæpe enim nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid prænuntiant, animus sibi falsas imagines fingit: aut verbum aliquod dubiæ significationis detorquet in pejus: aut majorem sibi offensam proponit alicujus, quam est, et cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. *Sen. 15. epist.*

12. Quicquid fieri potest quasi futurum cogitemus,

circumspicienda duo sunt: et futuri timor, et veteris incommodi memoria: hoc ad me jam non perficiet, illud nondum. Grata superveniet, quæ non sperabitur hora. *Senec. 79. epist.*

13. Noli mala tua facere tibi graviora, et te querelis onerare. Levis dolor est, si nihil illi opinio adjecerit: e contra, si te exhortari cæperis, ac dicere, nihil est, aut certe exiguum est, duremus, jam desinet: levem illum dum putas, facies: omnia ex opinione suspensa sunt, tam miser est quisque, quam credit. *Senec. 88. epist.*

14. Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, si tanto tempore reparentur cuncta, quanto finiuntur. *Idem epist. 92.*

15. Socrates cum ex amicis quendam graviter morientem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret: quo facto, cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis, et olim fuerunt, hodieque versentur, et in sequentibus seculis sint habitaturi, ac mitte mortalium incommoda, tanquam propria deslere. *Val. Max. lib. 7. de memor.*

16. Numerum convivarum incipere oportet à Gratiarum numero, et progredi ad numerum Musarum, id est, proficisci à tribus, et consistere in novem, ut non sint pauciores quam tres, nec plures, quam novem. Non convenit enim multos esse, eo quod turba est plerumque turbulenta. Nec loquaces, inquit, convivas, nec mutos eligere oportet: quia eloquentia in foro, silentium verò non in convivio, sed in cubiculo. Sermones igitur illius temporis habendos non de rebus anxii, non tortuosis sed ex quibus ingenium venustatis fiat, et amœnum, et cum quadam voluptate utile. *Aut. Gel. lib. 15.*

17. Hæc sunt officia consolantium: tollere ægritudinem funditus, aut sedare: nec pati manare longius, aut ad aliam traducere. *Cicer. 5. Tusc.*

18. Sunt qui consolationem respiciunt: sed refert quomodo adhibeatur: ut enim tulerit quisque eorum,

qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo prædicandum est. *Ibidem.*

19. * Consolationum multæ sunt viæ: sed illa recitissima, impetret ratio quod dies impetratura est. *Cicer. ad Ate.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 11, 29. in tit. Amissio et Conscientia, núm. 6. in tit. Dolor, núm. 2, 4, 7. in tit. Gaudium, núm. 5. in tit. Mors, núm. 2, 20, 70. in tit. Paupertas, núm. 14. in tit. Sapientia, núm. 32. in tit. Timor, núm. 23, 24, 25, 26. in tit. Tribulatio, núm. 13, 15, 23.

CONSUETUDO.

1. Consuetudo quasi secunda, et quasi affabricata natura dicitur. *Aug. lib. 6. de Mus.*

2. Solet recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava opinio rectam depravare naturam. *Aug. de doct. Christ.*

3. *In dolore paries filios.* Verum est sacramentum hujus sententiæ, quod nulla abstinencia sit à voluptate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur: quod quum pervenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus affectus per consuetudinem bonam: quæ consuetudo ut naceretur, cum dolore reluctandum est consuetudini malæ. *Aug. de Gen. cont. Man. lib. 2.*

4. Lex peccati, est violentia consuetudinis: qua trahitur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabatur. *Aug. lib. 2. confes.*

5. Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, tamen novitate perturbat, quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. *Aug. lib. 1. ad Jan.*

6. Peccata, quamvis magna et horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parva esse aut nulla creduntur: usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda diffamandaque videantur. *Aug. in Enchirid. cap. 82.*

7. Vincere consuetudinem dura est pugna. *Aug. super Psalm. 50.*

8. Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima: nec resurgere, nec respirare permittitur, dictum est autem, *quatri-duanus est.* Revera istam consuetudinem de qua loquor, quodam progressu pervenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensus: tertia factum: quarta consuetudo. *Aug. super Matth. ho. 45.*

9. Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus forte consuetudinem jam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit: et sit homini quasi nullum sit: obduruit jam, dolorem perdidit, et valde putre est: nec dolet: quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur et dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum ac de corpore præcidendum. *Aug. in ser. quartæ dominicæ de adventu.*

10. In his rebus, de quibus nihil certi divina statuit Scriptura, mos populi Dei, et olim instituta majorum, pro lege tenenda sunt: et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemtores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt. *Aug. in epist. ad Casul. et ponitur 11. di. in his.*

11. Mos est simul habitantium consensus, qui inveteratus consuetudinem facit. *Aug. de diffn.*

12. Asperam nobis et insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo: quæ si in alteram partem transferatur, invenitur semita justitiæ levis. *Hier. in ep. ad Celan.*

13. Quum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiam si appetat, debilius resistit: quia quod vicibus prævæ frequentationis astringitur quasi tot vinculis ad mentem ligatur. *Greg. lib. 4. moral.*

14. Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem conatur et labitur: quia

ubi diu sponte perstitit, ibi quum noluerit coacta cadit. *Greg. super Evang. homil. 51.*

15. Sæpe nonnulli exire à pravis actibus cupiunt: sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt. *Greg. lib. 11. moral.*

16. Tenent pravæ consuetudines, quem semel ceperunt: atque quotidie duriores existunt: et non nisi cum peccatoris vita finiuntur. *Greg. lib. 15. moral*

17. Antiquus hostis prius quasi consulens blanda ad animum loquitur: sed quum semel dentem delectationis infixerit, violentia post consuetudinem penè insolubiliter innodatur. *Ibidem.*

18. Abscindatur ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis: si est acerbus dolor, leniatur unguento devotionis. *Bern. super Cant.*

19. * Usus facit virtutes, non natura: tuum est autem abutendo facere vitia, aut bene utendo virtutes. *Bern. de consid. lib. 2.*

20. Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur et tenetur, quum ea deficit. *Isid. lib. 2. de Etym.*

21. Consuetudo authoritati cedat: pravum usum lex et ratio vincat: quum verò nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obviare monstratur, inconcussa servanda est. *Isid. in Synoni. lib. 2.*

22. Difficile est peccati consuetudinem vincere: pravus usus vix aboletur: assidua consuetudo vitium in naturam convertit. Animus sceleribus astrictus, vix ab eis divelli potest. *Isid. lib. 1. soliloquiorum.*

23. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem, orbisque dominatorem in moribus et incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus parvulus adhuc fuerat imbutus. *Beda de templ. Sal. lib. 2. Et est glos. super illud Prov. 22. Adolescens juxta viam suam, etc.*

24. Non parvus est labor, ut se aliquis à priori non bona consuetudine reflectat, ac revocet: quoniam

quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet naturæ. *Basil. in sua reg.*

25. Quidam de sapientibus dixit: Benè consuetos pudebit dissuocere: et iterum: Bona loquamur, transiet sermo in affectum, juxta illud: Qui non assuescit virtuli, dum juvenescit, à vitiis nescit discedere, quando senescit. Et econtra: Quod in juventute addiscitur, in matura ætate servatur. *Max. in serm. de Joan. Bapt.*

26. Consuetudo quæ apud quosdam irreperat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem: scientes quod veritas vincit, veritas valet, et invalescit in æternum: et vivit, et obtinet in sæcula sæculorum. *Cypr. in serm. et ponitur dist. 8. dec.*

27. Sic fit ubi homines majorem vitæ partem in tenebris agunt, ut novissime Solem quasi supervacuum fastidiant. *Senec. lib. 2. Rhetoricæ suæ.*

28. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt. *Senec. 28. epist.*

29. Diu in istis vitiis jacuimus: evelli difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti. Non est morbus inter vitia contemnendus: potest adolescentia injurias ferre, et se adversus morbos contumaciter gerere: ubi verò senectus incubuit, facilius est morborum vitia prohibere, quam impetum regere. *Sen. 85. epist.*

30. Inter causas malorum nostrorum quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nolemus imitari: quum plures facere cæperunt, quasi honestius sit: quia frequentius sequimur, et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. *Senec. in extr. par. epist.*

31. Educatio et disciplina mores facit: et id sapit unusquisque, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit, bene docet lo-

qui, bene docet facere. *Senec. in lib. de moribus.*

32. Gravissimum est imperium consuetudinis. *Sen. in pro.*

33. Quicquid in excelso fastigio positum est, humili et certa consuetudine quo fit venerabilius, vacuum esse convenit. *Val. Max. lib. 2. de mem.*

34. * Consuetudinis magna vis est, pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Cicer. 2. Tusc.*

35. * Consuetudo peccandi, maleficii removet debilitationem. *Cicer. ad He.*

Vide etiam in tit. Conversatio, núm. 1, 2. in tit. Devotio, núm. 3. in tit. Homo, núm. 10. in tit. Lascivia, núm. 1. in tit. Lex, núm. 6. in tit. Obstinatio, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 1. 6. in tit. Voluptas, núm. 16.

CONTEMPLATIO.

1. Contemplatio est illa species, quæ rapit omnem animam desiderio sui tanto ardentior, quanto mundior: et tanto mundior, quanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desideriis, et terrenis affectibus morientem. *Aug. de Trinit.*

2. Qui didicerunt à Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. *Aug. in epist. ad Paulinum.*

3. Tuta vita est, in qua nihil sit, quod timeas, quæ compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, non occupatur alienis molestiis, non urgetur urbanis discursibus. *Amb. in epist. ad Vercell. Ecclesiam.*

4. Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et patrem non habent in terra, nisi solum Deum, totius orbis foveantur ministeriis. *Hier. cont. Vigil.*

5. Mens nostra ad contemplanda interna non per-

ducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, studiosè subtrahatur. Mens nostra nullo modo ad viam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiosè prius à terrenorum desideriorum tumultu sopiatur. *Greg. lib. 5. moral.*

6. Nunquam commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspiciere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec Solis radius cernitur, quum commotæ nubes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit: quia quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. *Ibid.*

7. Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi videntur esse sapientes: quia tanto ab ejus luce longè sunt, quanto apud semelipsos humiles non sunt: quia in eorum mentibus dum rumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit: et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine virtutis privant. *Greg. lib. 18. moral.*

8. Perfectus prædicator non est, qui propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *Greg. super Ezech.*

9. Contemplativa vita est, charitatem Dei et proximi relinere, et ab exteriori actione quiescere. Soli desiderio conditoris inhærere, ut nil jam habere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat. *Ibidem.*

10. Contemplativa vita meritò major est, quàm activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa verò sapore intimo venturam requiem degustat. *Greg. super Ezech.*

11. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum prædicatione refugiant, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt, de quo si districte judicentur, ex tantis procudubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *Greg. in quadam epist.*

12. Sæpe enim qui contemplari Deum quiete poterant, occupationibus pressi ceciderunt: et sæpe qui occupati humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. *Greg. lib. 6. moral.*

13. Sæpe misericors Deus, quo suos tenere diligit, eo solcite ab externis actionibus abscondit. Nam et plerumque pater familias ad eum laborem servos dirigit, à quo subtiles suspendit, et inde filii vexatione decori sunt, unde servi in pulvere fœdantur. *Greg. lib. 25. moral.*

14. Omnis, qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet: quia et cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris seculi, quem ponere in terra consueverat, jam à terra suspensum portat. *Greg. super Ezech. ho. 2. cat. pa.*

15. Quum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent, ut sollicité sciant, si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si objectis bonis temporalibus, nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non nimio mœrore sauciantur: aut deinde perpendant si quum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbris trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt. *Greg. 6. moral.*

16. Sine contemplativa vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari, quæ possunt. *Greg. ho. 2. super Ezech.*

17. Contemplatio divinæ suavitatis et gloriæ solis mente et corpore puris conceditur. *Bern. in Cant. serm. 67.*

18. Contemplationis accessus duo sunt, unus in intellectu, alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore, unus in acquisitione, alter in devotione. *Ibid. serm. 46.*

19. Contemplationis quies pro lucro animarum libenter intermittenda est. *Ibid. serm. 55.*

20. Noli nimis insistere oculis contemplationis: quia meliora sunt verba prædicationis: nam et si Rachel formosior, Lia tamen fœcundior est. *Bern. super cant. serm. 9.*

21. Felix domus et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha semper conqueritur: nam Mariam Marthæ æmulari indignum prorsus est. *Bern. in quadam epist.*

22. Tria sunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque contemplatione veri luminis excludunt, scilicet tenebræ peccatorum, recordatio eorundem peccatorum, et cura terrenorum actuum. Contra triplicem morbum triplex remedium est. Nam primus ejicitur per confessionem: secundus per orationem: tertius per quietem. *Bern. de consid. ad Eugen.*

23. Utilius est per simplicem actionem ire ad vitam æternam, quam per contemplationis errorem mitti in gehennam. Multos enim Deus ex carnalibus sua gratia visitat, et ad contemplationis fastigium elevat: multosque à contemplatione justo judicio deserit, et lapsos in terrenis operibus derelinquit. Loth enim in perversa civitate justus fuit, et in monte peccavit. *Isid. de sum. bon. lib. 3.*

24. Qui prius in activa vita proficit, bene ad contemplationem conscendit: merito enim in ista extollitur, qui in illa utilis invenitur. *Isid. de sum. bon. lib. 3.*

25. Activa vita est, panem esurienti tribuere, verba sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis, qualiter subsistere valeant providere. *Bern. super illud Luc. Intravit Jesus, etc.*

26. Nemo potest eorum qui delectantur presentibus et caducis, cœlestia ac spiritualia contueri: qui verò ista contempserit, et velut umbram hæc ac pulverem duxerit, velocius ad illam perveniet. Nam et

apud homines hic mos est, ut tunc thesauros suos, reconditasque divitias patefaciant filiis suis, quum eos adultos jam viderint, et puerilis lasciviæ vitia respuisse. *Chrysost. in lib. de compunctione cordis.*

27. Habet activa profectum, contemplativa fastidium: hæc facit sanctum, illa perfectum: hujus vitæ est nulli prorsus injurias irrogare: illius irrogatas æquanimiter sustinere. *Prosp. lib. 1. de vita contemplativa.*

28. Iste activus, qui suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam bonorum operum fructibus ditat. *Ibidem.*

29. Ille contemplativus, qui facultatibus suis in usus pauperum distributis, simul se expoliavit mundo, et totis viribus adhæret cælo. Res mundi mundo projecit: et seipsum Christo devota mente restituit. *Ibidem.*

30. Activa vita habet sollicitum cursum: contemplativa gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc facit pulsare honorum operum velut quibusdam manibus januam: ista vocal consummandos in patriam. In hoc contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. *Prosp. ibid.*

31. Quis enim nescit, quod sicut otium studiosum à carnalibus, ineffabilem suavitatem sapientiæ cælestis infundit otioso; ita spiritualis occupatio, laborum sanctorum multiplices affert fructus humanæ societatis occupatio? Itineribus quidem diversis incedunt, sed ad unam patriam tendunt, et ad unum regnum disparibus militantes officiis Christo rege omnium vocante perveniunt. *Prosp. lib. 3. de vita contemplativa.*

32. Tria sunt genera meditationum. Unum in creaturis: unum in scripturis: unum in moribus. Primum surgit ex admiratione: secundum ex lectione: tertium ex circumspectione. Admiratio general quæstionem, quæstio investigationem, investigatio inventionem. Lec-

tio ad cognoscendam veritatem ministrat, meditatio coaptat, oratio sublevat, operatio componit, et contemplatio in ipsa exultat. *Hugo. in meditationibus suis.*

33. Circumspectio in moribus duplici consideratione discurrit, intus et foris: foris ad famam: intus ad conscientiam: ut quid expediat, et quid deceat: deceat ad exemplum, expediat ad meritum: nobis ad vitium, proximis ad exemplum. *Hugo. ibid.*

34. Cogitatio vaga incessu semper huc et illuc divertit: sed meditatio destinata promotione semper in ulteriora tendit: contemplatio autem est libera mentis perspicacia, in sapientiæ speculo cum admonitione suspensa. Meditationis est perscrutari occulla, contemplationis est admirari perspicua. *Hug. in lib. de arca mystica.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 2. in tit. Caro, núm. 21. in tit. Consideratio, núm. 26, 27. in tit. Judex, núm. 7. in tit. Justitia, núm. 22. in tit. Meritum, núm. 4. in tit. Parentes, núm. 16. in tit. Perfectio, núm. 8. in tit. Religio, núm. 28. in tit. Solitudo, núm. 6, 9, 16. in tit. Solitudo et Tentatio, núm. 15.

CONTEMPTUS.

1. Sedulo monendi sunt scolastici, ut humilitate induli christiana discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare, quia licet per ignorantiam grammaticæ artis aliquid vitiosum proferant presbyteri vel episcopi, non tamen ideo à scholasticis sunt despiciendi, sed corde casto prælatorum linguam exercitatum scolastici præferre non audeant: quam etiam proferre consueverant. Morum enim vitia magis, quam verborum sunt præcavenda. *Aug. de Catechizandis rudibus, et est. 28. distinct.*

2. Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. *Aug. ibid.*

3. Sicut solet generari ex assiduitate contemptus: sic attenditur ex ipsa raritate devotio. *Ambros. in quodam serm.*

4. Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. *Hier. in epist. ad Lætam.*

5. Facile est viro opes contemnere, pecuniam dissipare, et projicere, quæ in momento et perdi et inveniri potest. Nam facile obicitur, quod extrinsecus hæret: hoc fecit Socrates, Thebanus, Antisthenes: fecerunt plurimi philosophi, quos vitiosissimos legimus. *Hier. in epist. ad Pammac.*

6. Quod enim sumus, hodie novimus: quid autem post paululum esse possumus, nescimus: hi verò, quos forsasse despiciamus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur: quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. *Greg. lib. 25. moral.*

7. Super altitudines terræ sustolitur, etiam ipsa, quæ gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. *Greg. in registro super illud Sustollam te, etc.*

8. Pulchrè à conditis amorem subtrahunt, qui in ipsum auctorem pulchritudinis cordis passibus tendunt. *Greg. in moral.*

9. Si reum regis majestatis quamvis humanæ humanis legibus capite plecti, sancitum est, quis, finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? *Bern. super cant.*

10. * Qui terrena contempsimus, necesse est, ut flagrante desiderio cœlestia requiramus. *Bern. in Par. serm.*

11. Contemne divitias, et eris locuples: contemne gloriam, et eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, et tunc eos superabis: contemne remissionem, et quietem, et tunc eam recipies. *Chrys. super epist. ad Hebr. serm. 25.*

12. Intolerabilis res poscere nummos et contemnere. Indixisti pecuniæ odium, hoc professus es: hanc personam induisti, agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. *Senec. lib. 2. de beneficiis.*

13. Paupertati domum aperire, voluptates tenere sub fræno, meditari vel lætari de dolorum patientia: hæc qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. *Senec. 22. epist.*

14. Facile contemnit omnia, qui ad contemptum sui venit. Vis ergò habere omnia? contemne omnia. *Senec. 85. epist.*

15. Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit. Inexpugnabilis est, quem multis machinis læcessitum fortuna non transtulit: nunquam major est, quam ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem, nil timendo divitias, nil concupiscendo. *Senec. epist. 85.*

16. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, majusque regno judicavit, regias opes posse contemnere. *Senec. 3. de Benefic.*

17. Nondum felix es, si non te turba deriserit. Si beatus vis esse, cogita hoc, primum contemnere, et ab aliis contemni. *Senec. in lib. de moribus.*

18. Gravius est contemni, quam stultitia percuti. *Senec. in proverb.*

19. Sunt plurimi, qui nulla verbis non re contemunt, sed ipsa quæ spernunt, clam furantur. *Ibid.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 42, 43. in tit. Avaritia, núm. 68. in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Consuetudo, núm. 33. in tit. Contemplatio, núm. 26. in tit. Contritio, núm. 3. in tit. Convitium, núm. 10. in tit. Cupiditas, núm. 14. in tit. Divitiæ, núm. 19, 39, 50, 51. in tit. Gloria bona, núm. 2, 3. in tit. Gloria vana, núm. 1. in tit. Honor, núm. 4, 24. in tit. Magnanimitas, núm. 11, 16. in tit. Mandatum, núm. 7. in tit. Munus, núm. 2. in tit. Nobilitas, núm. 2. in tit. Relinquere studium, núm. 1, 11. in tit. Virginitas, núm. 18. in tit. Vita, núm. 28. in tit. Christus, núm. 6.

CONTRITIO.

1. Alia est compunctio sive contritio, quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. *Greg. lib. 5. moral.*

2. Sæpe quod torpentes latuit, flentibus innotescit, et afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat, et reatum suum, cujus secuta non meminit, hunc in se commota deprehendit. *Greg. ibid.*

3. Qui nescit lugere, quod gravat, non valet proferre, quod subleval. Vis compunctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit: quumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. *Greg. 21. moral.*

4. * Compunctionis principalia sunt, timor et amor. *Greg. lib. 5. Dialog.*

5. Quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renovatur. *Greg. lib. 27. moral.*

6. Sola compunctio est, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lachrymas, fugere risum. *Chrys. in lib. de compunctione cor.*

7. Contritio est humilitas cordis, vera compunctio, magna agere, et humilia loqui, juste operari, et super peccatis timere, ac tremere. *Ibidem.*

8. * Compunctionem vel contritionem peccatorum qui non habet, non habet mundam orationem. *Bern. ad Soliloq.*

9. Gemitus dictus geminatus luctus, quem merito fideles appetunt, quoniam diligentes consolatur, pœnitentes emundat, diabolum effugat, Christo conciliat: amaritudo dulcis, lachrymæ sælices, salutaris afflictio. *Cass. super Psal. 6. Laboravi in gemitu, etc.*

10. Dominus nescit differre, quem compuncto corde sibi senserit supplicare. *Cass. super illud Psal. Ad Dom. cum tribularer etc.*

11. Contritio est gemebundi cordis commotio sæcularis, seipsum lachrymarum eruptione testificans. *Hugo. lib. 5.*

12. Contritio est compunctio animi cum lachrymis, oriens ex recordatione peccati, et timore iudicii. *Ibidem.*

13. Argumentum est in melius translato animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio est, quum ipsi ægros se esse sentire. *Senec. epist. 2.*

14. Magna pars bonitatis est, velle fieri bonum. *Senec. 55. epist.*

15. Sciat se culpabiliter durum et durè culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animæ suæ mortem non deslet. *Innocent. de vilitate conditionis humanæ.*

16. * Contritio est unguentum sua fragantia totam domum ecclesiæ replens. *Bern. in cant. serm.*

Vide etiam in tit. Delitiæ, núm. 6. in tit. Devotio, núm. 11. in tit. Lachrymæ, núm. 3, 4, 6, 12, 18. in tit. Peccatum, núm. 8. in tit. Pœnitentia, núm. 13, 17, 27.

CONVERSATIO.

1. In diversis observationibus nulla disciplina melior gravi et prudenti Christiano, nisi ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam fortè devenerit ad discendum, quod opus est. *Aug. de doct. Christ.*

2. Quisquis rebus prætereuntibus strictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut inlempens, aut supersticiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. *Aug. lib. 3. de doct. Christ. Et ponitur 41. distinct.*

3. * Conversationis alienæ sumus curiosi exploratores, aut iudices temerarii. *Bern. in Cant. serm. 45.*